

030

028

034

024

039

019

079

129

Ende

Anfang

15

Palaestina, Mesopotamia, Aegyptus, vastissima Arabiae
solitudo, Thebais (6 A) omnia sanctis hominibus fuerint plena.
De longinquis etiam mundi partibus ad hanc terram sanctam
homines sancti et devoti confluebant, nec reputabant, se alibi
posse proficere, et Deo propinquiores fieri, nisi in his locis
sanctis morarentur. Et illi, quibus non suppetebat facultas
hoc faciendi, reddebantur pusillanimes, quasi Deo alibi non
possent accepta servitia exhibere. Contra quod tamen S.
Hieronymus ad Paulinum scribens sic inquit: Nolo Dei omni-
potentiam angusto fine concludere, et arctare parvo terrae loco,
quasi solum in terra sancta possit inveniri gratia. Nam de
Hierosolymis et de Britannia aequaliter patet aula coelestis.
Anthonius enim, et cuncta Aegypti, et Mesopotamiae, Ponti
et Cappadociae et Armeniae examina monachorum non videre
Hierosolymam, et patet illis absque hac urbe paradysi janua.
Beatus Hilarion, cum palaestinus esset, et in palaestina viveret,
uno tantum die Hierusalem vidiit, ut nec contemnere sancta
loca, propter viciniam, nec rursum Deum loco concludere
videretur. Nec quidquam, frater charissime, fidei tuae deesse
putes, quia Hierosolymam non vidisti, nec nos, qui ibi fuimus,
meliores aestimes; sed sive hic, sive alibi aequalem te pro
operibus tuis apud Deum habere mercedem. Haec Hieronymus,
uti supra (Tom. 1. Fol. 102. c. D.)

Ex quibus liquet, quod tantus fuit concursus fidelium de-
votorum ad Ierusalem, et terram sanctam, quod necesse erat
Zelum et fervorem reprimere aliorum, ne omnes locis suis
derelictis illac confluerent. Unde Hieronymus, a Ierusalem
Romam veniens, eamque etiam repletam monasteriis reperiens,
dixit, ut in epistola ad Principiam habetur: Gaudeo, Romam
factam Ierosolymam. Crebra virginum monasteria, monachorum
innumerabilis multitudo (Tom. 1. Fol. 220. C.) Sed quid nunc
dicere possumus? Certe nihil aliud: heu! quam, quod terra
sancta et civitas sancta Ierusalem iam repleta est vitiosissimis
hominibus, qui non gregatim ut greges incedunt, sed sine ordine,
sine lege, sine politico regimine dispersim, ut nocivae bestiae,
discurunt, et greges dissipant. Contra quos vocat Deus gladium,
Zachar. 13. 7: Framea, suscitare adversus eos, qui dispergunt
gregem meum. Ibi enim discurrit leo rugiens, per superbiam

